

19. Il cardinale Antonio Correr¹ a Firenze.²

Roma, 20 febr. [1431].

Magnifici et potentes domini priores. Licet multis diebus superioribus quadam fama publica hic in urbe sermo factus fuerit de ambigua vita sancti domini nostri pape, attamen non determinavimus magnificentiam vestram per has nostras notum facere, nisi de re firma et quae in nulla dubietate consistat. Uno enim mense et pluri cum praefectus dominus noster passus graviter fuisset, postea visus fuit aliqualem convalescentiam recuperare. Postremo die lune proxime preterito pro collegio cardinalium misit, quibus pauca verba generalia protulit; qui iudicatus est ab omnibus nobis malum statum habere, non tamen talem, propter quem arbitraremur illum ita subito moriturum. Qui die sequenti, quae fuit dies martis, circa horam unam diei ex apopletico morbo mortuus est.³ Quo defuncto ex omnium cardinalium consensu totum collegium eorundem congregatum est, ad quam congregationem convenerunt conservatores, capita regionum, mariscalchi omnesque officiales urbis, et se subposuerunt libere mandatis et singulis placitis collegii cardinalium promiseruntque amplissime, hanc urbem se manutenere velle ad omnem obedientiam felicissimi status ecclesie. Qui omnes predicti recepti grantantur fuerunt a collegio prenominato, et versa vice illis promissiones multum grate porrecte fuerunt. Itemque princeps domini nostri predicti nepos misit viros venerabiles et cives egregios ad nos, qui pro eius parte polliciti sunt, illum consignaturum castrum s. Angeli et singulas portas huius urbis et omnia alia ecclesie fortalitia ad omnem requisitionem collegii in manibus et in omni potestate dicti collegii. Quare pro omnibus nobis supra enarratis certificamus vos, qualiter civitas ista nullam penitus turbationem in morte predicti pontificis accepit. Quinymo comprehendimus, omnes et singulos cives maxime affectuosos fuisse ad pacificum statum ecclesie. Estque ad praesens in tanta pace et tranquillitate, ut qui nemo iudicasset, quod tanta quies esse debuisset.⁴ Ista vobis ita

¹ Su quest'uomo distinto cfr. le nostre osservazioni a p. 275.

² Cfr. sopra p. 287.

³ GRAZIANI, *Cronica* 349 («a doi ore di notte in circa»); la lettera dei cardinali in FUMI 689; in *Vita Martini* V, in MURATORI III 2, 868 («ex apoplexia iam sumto prandio infirmatus est et nocte sequenti paulo ante diem hic beatissimus pater et semper memorandus pontifex Deo animam reddidit») e la lettera di Giovanni Cervantes pubblicata da CATALANUS (175) («die martis proxime preterita ante diem ortum viam universae carnis ingressus est»). Il dato di INVESSURA (1123: «nell'alba del die»), che si trova anche in una lettera del duca di Milano a re Sigismondo (in OSIO III, 6) è pertanto inesatto. L'errore del CACCONIUS (II, 819) sul giorno della morte di Martino fu già corretto da PAPENBROCH (440).

⁴ Cfr. in proposito la già ricordata lettera di Giov. Cervantes, in data di Roma 22 febbraio, presso CATALANUS 175-176.